



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Liber III. De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De Materia, & Forma Confirmationis.

SACRAMENTVM Confirmationis, quod est *Unctio Chrismales consecrati, facta ab Episcopo sub prescriptis verbis, Confirmans Fideles ad Christianam fidem catholice tenendam, habet suam materiam, & formam, de quibus dicemus, quæ sunt scitu necessaria, mox cetera ad hoc Sacramentum pertinentia breuiter prolecuri.*

§. I. Materia remota.

1. **Chrisma** confectum ex oleo simul, & Balsamo benedictum ab Episcopo Consecrato, est materia remota confirmationis. Vide *C. literis vestris de consecrat. d. 3.*

1. Dicitur Primo, ex Oleo nempe Olivatum, Quare sub pena nullitatis Sacramenti non apponetur Oleum ex nucibus, ex piscibus, ex semine lini, ex amygdalis, &c. quia hæc non sunt simpliciter olea. Quid de oleo ex Oleastris, hoc est ex olivis silvestribus? Puto hoc sufficere, ac legitime adhiberi, quia simpliciter, & in omnium vlt oleum est.

3. Dicitur Secundo, ex Balsamo, sive Palestino, sive Syriaco, sive Indico, æquæ enim sunt Balsama, & ita declarasse Paulum IV. Pium I V. Gregorium XIII. & Sixtum V. testantur Bel. l. de hoc Sacr. cap. 8. & Sanch. d. Sacr. d. 3. selt. i. ver. Ad. 2. Sufficere autem parum Balsami, quamvis in multo oleo, ita tamen, ut oleæ partes superant odorem Balsami, notant Castropalaus, de conf. d. 9. p. 2. n. 4. ver. Ad 4. & Hurtadus, de conf. d. 4. ver. Quid autem.

Dicitur Tertio, simul, quia cum Suar. l. c. puto falsam, esse sententiam Caetani 3. p. 9. 72. art. 2. aliorumque paucorum affirmantium, sufficere solum oleum, Balsamumque esse solum de necessitate præcepti, tum sententiam Cami apud Valen. 3. p. disp. 5. q. 1. p. 2. v. Prima fertur, dicentis, sufficere alterutrum, sive solum oleum Olivatum, sive Balsamum solum. Ratio nostra est, quia vltus Ecclesiæ præscribens, requiri vtrumque, satis ostendit, vtrumque requiri absolute, atque adeo ad valorem.

5. Dicitur Quarto, ab Episcopo Consecrato. Si enim consecratus Episcopus nondum sit, sed solum electus, vel etiam à Summo Pontifice confirmatus, non potest valide exercere ea, quæ pertinent ad Consecrationem quare non potest confirmare.

6. Dicitur Quinto, benedictum ab Episcopo Consecrato; tum non solum Vnctio exhibenda est ab Consecrato Episcopo, sed ipsum oleum, Balsamumque, (quod vnicuius vocabulo appellamus *Chrisma*) debet esse ab simili Episcopo Consecrato benedictum, secus inepta esset Confirmationis materia, ut est communis doctrina Theologorum cum S. Th. 3. p. 9. 72. art. 3. Ratio autem hujus

doctrinæ efficacior nulla est, (nam aliæ allatæ à Theologis solum congruentiam probant) nisi vsus antiquissimus, & continuatus Ecclesiæ.

7. Quare Caët. l. c. art. 3. & Val. e. ver. Ad hoc in primis dum sentiunt, sufficere benedictionem Sacerdotalem contra communem, seu certe contra probabiliorum opinionem sentiunt. Lege Quintanad. de conf. sing. 3. qui invalidè confirmatos esse putavit quosdam, quos Episcopus, quia defecit Chrisma, confirmavit oleo infirmorum; Multoque minus est audiendus Molfesius in Sum. Tr. 4. c. 2. n. 22. dum docet, Confirmatum ex oleo non Consecrato, non iterum confirmandum.

8. Nisi forte Caëtanus intelligat, benedictionem Sacerdotalem sufficere, quando alicui Sacerdoti hanc facultatem benedicendi, seu consuecendi Chrisma Summi Pontificis concessisset; licet enim nunquam legatur id alicui concessisse Pontificem quia tamen legitur (ut mox cap. 2. §. 1. dicemus) simplici Sacerdoti privilegium dedisse confirmandi Fideles cum Chrismate consecrato ab Episcopo; ideo non videtur à Caët. ibi art. 4. in 4. d. 7. q. 2. art. 3. Palud. in 4. d. 7. q. 4. Vigot. de Consecr. in 4. d. 8. Val. 3. p. d. 5. q. 1. p. ver. Deinde dico: denegandam Pontifici, etiam hanc potestatem ipsi Chrisma benedicendi, posse simplici Sacerdoti concedere.

9. Verum, in hoc sunt etiam hi Doctores reiciendi, ut recte notat Suar. de Sacr. d. 3. selt. 2. cum aliis, qui hanc potestatem simplici Sacerdoti concedi à Summo Pontifice posse, omnino negant. Si autem hujus rationem quæras, illa est, quia id esset contra vsum Ecclesiæ antiquissimum, cuius contrarium non possit vlla ratione, vel testimonio comprobari. Eademque ratio probat Pontificem, non posse dispensare, ut Confirmatio conferatur in Oleo, Balsamoque ab Episcopo nondum benedicto quicquid Palud. Esti. & Campu. ap. Leand. Conf. d. 3. q. 4. in oppositum doceant.

10. Inquires, quia benedictione vti debet in consuecendo Chrismate Episcopus?

Respond. Certum est, Episcopum sub mortali debere usurpare benedictionem ab Ecclesia præscriptam. Ad valorem tamen sufficere quamlibet Dei invocationem; Doctores adverter, quia credi nequit Christum Dominum formulam aliquam pro ejusmodi benedictione designasse.

11. Inquires iterum. Est ne de necessitate Sacramenti, Chrisma esse novum, hoc est, hoc præsentis anno benedictum?

Respondeo. Ad valorem sufficit Chrisma vetus, nisi sit corruptum. Illud autem, quod totam balsami fragrantiam amisit, satis dubiam materiam esse existimarem. Ad licitum autem vsum, debere sub pena peccati mortalis esse novum, monet Suar. d. 1. 3. de Sacr. selt. 1. ver. Hic vero. Neque hic apponendam esse puto exceptionem illam (nisi urgeat necessitas) ut apponendam duximus supra in Baptismo, hoc enim Confirmationis Sacramentum non est necessarium, sicuti Baptismus. Quare in dies differri, donec de novo Chrismate providetur, facile potest.

§. II. Materia proxima.

1. **V**ntio ex Chrismate, quæ ab Episcopo per modum, seu figuram Crucis, ipso Episcopi dextero pollice fiat in fronte confirmandi, est materia proxima Confirmationis.
2. Diximus Primo. *Vntio ex Chrismate*, id est ex Oleo & Balsamo benedicto, modo jam explicato. Quanta autem debet esse ejusmodi Vntio? Respond. Quanta sufficit, ut cum illa formari possit Crux sensibiliter in fronte; debet enim verificari forma, quam dicemus eam esse: *Signo te Signo Crucis, & Confirma te Chrismate salutis, &c.*
3. Diximus Secundo. *Ab Episcopo*, intellige de Iure, seu de potestate ordinaria, nam ex concessione Summi Pontificis dicemus mox cap. 2. §. 1. n. 4.
4. Diximus Tercio. *Per figuram Crucis*, nam id requiritur necessitate Sacramenti, propter rationem modo dictam, quia debet respondere formæ: *Signo te Signo Crucis, &c.* Adverte autem hoc signum debere fieri Vntione ipsa: quod certe constat ex usu, & continuato ritu Ecclesiæ.
5. Diximus Quarto. *In fronte confirmandi*, quod etiam esse ex necessitate valoris Sacramenti, docet ipse usus, confirmantque Patres, id in Confirmatione semper exposcentes; & quidem valde congruenter, ut ostendatur, Fideles non debere fidem, & Christi Domini Crucem erubescere.
6. Diximus Quinto. *Pollice dextero*, quod item ex ipso usu ritusque Ecclesiæ perpetuo constat. Noto nihilominus, id non videri ita de necessitate Sacramenti, ut alia manu, aliove digito ejusmodi Vntio exhiberi non possit, quia, (ut advertit G. Hurt. de Confir. diff. 6. vers. Quarto ad minus) non est credibile, Christum Dominum voluisse ex re tam modica valorem hujus Sacramenti dependere.
7. Sed quid? eritne illicitum mortaliter, alia manu, vel alio digito inungere? Respond. Ita docet Zambra, de casib. occ. temp. n. 4. cap. 2. d. 1. sed nimis rigide. Quare probabiliter Seraph. Th. V. Confirmatio dicitur diff. 1. cui favere videtur Laym. lib. 5. Tr. 3. cap. 2. num. 5. sine, & alij liberant à mortali, quia non est variatio essentialis, nec in re gravi.
8. Inquires. Ipsone digito immediate debet Vntio fieri, an potest medio aliquo instrumento, v. g. modico gossipio, vel particulæ vel argentea virgula tempore pectus, &c.
- Respond. Quoad licitum usum immediate debet fieri, secus esse mortale, ut notat Theologia Seraphica l. c. quia hæc res videtur gravior, quam quod modo dictum est de alia manu, vel digito.
9. Quoad valorem, quid sciendum? Respond. Non pauci, ut Suar. Laym. Regin. Dian. alique ap. Leand. de Confir. Tr. 3. §. 12. quibus add. Castrop. d. Conf. d. vn. p. 3. n. 4. docent, invalidum esse hoc Sacramentum, si mediante instrumento fiat vntio, quia impositione manus, à primis Ecclesiæ exordiis, semper collatum esse hoc Sacramentum constat ex Apostolorum usu.
10. Non pauci vero, ut Henr. Vivald. quos citat, sequiturque G. Hurt. de Conf. diff. 4. quibus add. Quintan. de Conf. sing. 3. n. 5. validum esse contendunt, quia ut habet Hurtadus l. c. non est credibile, Christum Dominum instituisse, ut essentia tanti Sacramenti dependeret ab ejusmodi immediate. Quare sicuti potest valide conferri Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Extreme Vntionis medio instrumento, & quidem urgente necessitate, v. g. tempore pectus, etiam licite, ita in Confirmatione.
- Neque obstat prædictus Apostolorum usus, nam qui facit aliquid sua manu tenente instrumentum, satis verè, satisque propriè sua manu, atque adeo suæ manus impositione facere dicitur. Hunc tamen, sic confirmatum, esse iterum sub conditione confirmandum, rectè notat Quitanadv. ibidem.

§. III. Forma Confirmationis.

1. **E**x Consecratione, in Decr. Fidei sub Eugen. II. in quibus Theologis hæc est Confirmationis forma: *Signo te Signo Crucis, & Confirma te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*
2. Quæ omnia verba requiruntur ad validitatem antiquissimo Ecclesiæ ritu constat.
3. Hæc autem formæ: *Signo te, Confirma te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Vel, Signo te Signo Crucis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Vel, Confirma te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hæc inquam, formæ, licet ab aliquibus ap. Leand. de Confir. diff. 8. sufficientes existimantur, quæ tamen quæ omittuntur, videntur involui in iis, quæ præstantur; tamen vel id falsum est, vel certe esse incertum an sic sufficiant, inficiabitur nemo. Quare si quævis forte collata fuit Confirmatio, omnino erit sub conditione repetenda.
4. Si vero indicativè vel imperativè, (nam & indicativè dicatur, certum est invalidam esse collationem) sic proferat Episcopus, *Signetur servus Christi, factus tuus, &c.* valide Confirmatio conferretur, inter quos enim (à me) sicuti supra diximus de illa forma Baptismi Græcorum *Baptizetur servus Christi, &c.*
5. An licite? Respond. Leander d. conf. d. 2. cum Suar. Henr. Dian. alijque ait: id esse mortale illicitum, quia sic fieret contra usum Ecclesiæ: tum latine ut certum est, tum Græce, cui concessum quævis fuit simili modo Baptismum conferre, nunquam in Confirmationem.
6. Nollem tantis Doctoribus me nullius sententiam ritum opponere. Fateor sic peccari ob discessionem à versali Ecclesiæ consuetudine, sed peccati mortale fateri vix possum, quia dum certa, & rata constat, quæ valorem, forma, non admodum gravis ejusmodi variatio mihi esse videtur. Favet mihi Valentia in Bapt. l. c. §. 5. n. 15. supra allatus in simili de Latino qui vntio Baptismo forma Græcorum.
7. Quoniam vero illa eadem invocatio Trinitatis in Confirmatione explicite adhibenda, quæ adhuc in Baptismo, (& quidem satis congruenter, ad significandum fidem, quam in Baptismo recipimus, eandemque Confirmationem esse à nobis propugnandam, idcirco ad ejusmodi expressionem, idem dic, quod supra diximus in Baptismo, esse nempe de necessitate Sacramenti Confule S. Th. supra Henr. Suar. ap. Leand. de conf. §. 17. dicentem esse omnium Doctorum.

CAPVT II.
De Ministro Confirmationis.

§. I. Quis ille sit?

1. **O**rdinarium Confirmationis Ministrum esse Episcopum consecratum, firmatum est ipso Baptismi tractationis initio. Superfluum quæstionem hanc tractare.
2. Prima: Quid de Episcopo Hæretico, Deposto, Degradato? Respond. Licet cum peccato gravi, non de tamen Confirmationem hi conferrent, quia per hoc non amittunt Ordinis Characterem.
3. Secunda: Si inveniatur aliquis Episcopus qui non acceperit hoc Sacramentum Confirmationis valide, ac licite alios confirmabit? Respond. Valide, non licite, quia carentia Confirmationis Consecrationem Episcopalem non impedit. At vero illicite mortaliter docet Tannerus ap. Leandr. de conf. d. 2. quæst. 6. Tenet Leand. l. c. cum Gran. alij agnoscit solum culpam venialem: & merito, quia non videtur gravis deordinatio non confirmatum confirmare.
4. Tertia. Quamvis supra statuerimus, Possibile

committere simplici Sacerdoti Chrifti confectio-
nem, potestatem faltem idem Pontifex concedere eidem
Sacerdoti, ut is ministret Fidelibus Confirmationem,
Chrifti confectio ab Episcopo? Respondeo posse Sa-
cerdoti non vero inferioribus Clericis. Constat id ex vfu
Ecclesie; cum enim inveniamus Summum Pontificem,
ad aliquando concessisse, pro certo tenendum est, eum
posse: Vnde colligimus Chriftum Dominum ita infli-
tuiffe. Sanè sic habet Eug. I. V. in *Decr. Fidei in Conc.
Florent.* Legitur aliquando per Apostolicæ Sedis disposi-
tionem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplici
Sacerdoti Sacramentum Confirmationis administrasse.

5. Nota illud urgente, nam sine iusta causa, quamvis
valida esset concessio, non tamen licita, G. Hurt. de
Conf. diff. 1. 3. Ex quo constat, item rectè notat, posse id
a Summo Pontifice concedi electo, quamvis nondum
Consecrato, quia is est actus iurisdictionis. Rectè item
addit G. Hurt. ibi *V. si autem* concessionem non expli-
cate morte concedentis, quia est gratia facta.

6. Episcopum, vel alium quempiam Summo Pontifice
inferiorem, hanc facultatem non posse concedere certum
apud omnes est. Vide G. Hurt. cum communis, de Conf.
ib. *ver. Ex quo constat.*

7. Quarta. An hodie sint aliqui Sacerdotes, quibus
inveniantur concessa tanta facultas? Respondeo esse, sub
quibusdam conditionibus Regulares pro locis India-
narum, quod videri à curiofo poterit apud Quintanadue-
lum de Confir. singul. 5. & 6.

§ II. De obligationibus Ministri Confirmationis, deque solemnitatibus ab ipso servandis.

1. **V**licite Episcopus Confirmationis Sacramen-
tum admittit, debet Primo, versari in statu
gratie, ut univèrsaliter alibi dictum est.

2. Debet Secundo solum subditis suis illud conferre,
licet in propria Diocesi. Ex præsumpto tamen consen-
su alterius Episcopi, licet alienos in sua eadem Diocesi
confirmabit: qui præsumptus consensus solet evenire,
quando aliquis Episcopus suum subditum mittit ordi-
nandum ad alterum Episcopum, tunc enim tacitam con-
cedit licentiam, ut ab eodem, si fortè ordinandus non sit
confirmatus accipiat Confirmationem, quæ prærequiritur
ad ordinationem. Idem puto pro advenis cum Henr.
Layman, Castrop. de Confir. d. vn. p. 9. & aliis, Episcopus
etiam potest alienos fortè existentes, etiam obiter, in sua
Diocesi confirmare. In aliena item Diocesi solum potest
cum Episcopi proprii, saltem præsumpta licentia, sine
quæ, si etiam suos confirmaret, peccaret mortaliter &
dispensationem ab exercitio Pontificalium incurret. Ita
et Trid. Barbosa 2. p. de pot. Episc. all. 3. om. 15. & aliis.

3. Tercio, in Templo debet administrare ex decencia,
& ex Rubricis, ante Altare: cæterum potest teste Diana
p. 5. tr. 4. resol. 50. extra Ecclesiam in Oratorio, vel Pala-
tio ipsius Episcopi, & in quocumque loco decenti. Item
in quovis die, si ve festo, si ve profesto. Præterea in qua-
cumque hora si ve ante prandium, si ve post illud, quia
nec Episcopus conferens, cap. *Vt Jejun.* c. *Vt Episcopi*, de
confir. d. 5. nec Fidelis, cui confertur Confirmatio, debet
esse necessitate esse jejuniis. Quod si jejunium requirat
Sacerdos id, vel est solum ex consilio, vel is Canon
contrario vfu est jam abrogatus. Ita Suar. loc. cit. d. 37.
lib. 2. *V. Quarto observatum.*

4. Quarto, Episcopus, dum hoc Sacramentum admi-
nistrat, debet sub obligatione peccati mortalis esse vestitus
Pluviali, Mitra, Stola, & cum baculo Pastoralis. Vide
Dianam p. 7. tr. 10. resol. 3. 1.

5. Quinto, Obligatur Episcopus ministrare hoc Sa-
cramentum suis, vel per se, vel per alium Episcopum,
quæ si longo tempore negligat, peccabit mortaliter
ex Castropal. l. c. quia magno bono suas oves defraudat.
Debet itaque se conferre in templa ad hanc administ-
rationem opportuna, nec expensas itineris petere potest,
siquidem propter administrationem Sacramentorum, de-

emim, & sui Episcopatus fructibus gaudet: circa hanc
obligationem Episcopi, vide omnino, quæ dicemus mox
c. 3. §. 3. n. 2.

6. Denique hujus Sacramenti solemnitates hæc sũt:
Primo præsentia Patris, de quo mox separatim, & de
ius fusc Belli. c. 23. de Confir. Suar. d. 37. de Sac. sect. 1. & 2.
& Castrop. de Conf. d. vn. p. ult.

Secundo, Episcopus modo dicto vestitus exhibet Sa-
cræ Vnctionem, formam proferens, &c.

Tercio, confert pacem iam Confirmato.

Quarto, eidem levem alapam impingit, ut ipsum mo-
neat de forti animo in perferendis injuriis pro Christo.
Eum autem non impingere nullum esse peccatum, se-
cuso contemptu, notat rectè Valentia 3. p. quæstion. 1.
7. 3. sine.

Quinto, Confirmati frontem vitta linea ligari curat,
ne Chrifti de fluat, juxta locorum consuetudinem: quam
vittam, propter Chrifti contactum, ad profanos
vltus nunquam adhibendam esse, monet Layman. lib. 5.
tratt. 3. c. ult. sed vel servetur ad similem vltum, vel com-
buratur, & ejus cineres in Sacramentum proiciantur. In
nostris locis, statim post peractam Vnctionem, Ministri
Episcopi frontem confirmati abstergant, vnde ejusmodi
vittæ vltus non est.

7. Plures orationes ante, & postea recitantur ab Epi-
scopo, &c.

Mutat Episcopus aliquando nomen Confirmati, præ-
fertim si ejus antiquum nomen Gentilitatem sapiat.

8. Cereum accensum in manu Confirmati tradi al-
leubi consuetudo est.

9. Admonitio, ne Confirmatus discedat ante benedi-
ctionem Episcopi, non videtur obligare. Imò in magno
concurfu expedit discedere, & locum aliis cedere.

Denique debent nomina Confirmatorum, Confir-
mantis, & Partinorum scribi, ut in posterum sciatur co-
gnatio contracta. Modum hæc scribendi minime tradidit
Barbol. de pot. Paroc. c. 7. num. 16. Et quidem Parochum
sciens, & ex negligentia frequenter, seu plures baptiza-
tos, vel matrimonio copulatos non scribere mortalis
peccati condemnat Quintana de Confir. sing. 11. Vnde quid
simile videtur dicendum de Confirmatis, ut apud dictum
auctorem videri potest distinctius.

CAPVT III.

De Subjecto Confirmationis.

1. **S**ubjectum aptum ad validam Confirmationem est
persona baptizata cujuscumque conditionis, vel
ætatis. Quoad licitum autem vltum, quæritur solet. Primo de
Infantibus. Secundo de Amentibus. Tercio de proximè
moris. Quarto de Adultis, posito semper, quod sint
baptizati.

De Infantibus.

Convenientius esse, Infantes confirmari in Infantia
docet Leandro de Conf. d. 4. q. 3. sed nimis immerito, ita
docuit, cum sit longè melius eos regulariter confirmare
post adeptum rationis vltum, ut hodie praxis eccle-
siarum observat, atque diserte habet Pius V. in Cath.
Rom. 2. p. c. 3. n. 14. & communiore calculo docent Theo-
logi, scilicet Suar. disp. 5. c. 2. Castrop. de Conf. d. unic.
p. 7. n. 4. cum Silv. Soto, Bon. Laym. Bar. & aliis. Verba Pii
hæc sunt in catechismo; *Possent quidem statim à Baptis-
mo Confirmatio omnibus administrari, sed minus expedit
pueris illam conferre ante septennium, licet expectandus
non sit annus duodecimus.*

Illud Leandro libentissimè concedimus, rationabili
existente causa, posse, & aliquando debere infantem con-
firmari, ut, si timeatur longa Episcopi absentia, vel brevi
Infantem moriturum, vel adsit alicubi consuetudo pro
Infantibus. Certè Suar. de Sac. d. 55. sect. 2. vers. *Vtraque*,
illam

illam etiam causam esse rationabilem censet, si Episcopus, velle ob benevolentiam, similemve causam confirmare Infantem, sed remoto, si quod timeatur, scandalum; nam tunc graviter non peccaret Episcopus, quia ejusmodi usus confirmandi compotes rationis, non videtur esse rigoris magni.

§. I. I. De Amentibus.

1. Si spes sit, ut Amentes ad rationem redeant expectetur, ut expectantur Infantes, secus possunt, & debent confirmari, etiam si sint Amentes perpetui, ne scilicet tanto bono, & hujus Sacramenti Characterem careant. Sic ex probabiliori sententia S. Th. 3. p. 2. q. 2. art. 8. ad 2. Suar. alique citati.

2. Theologia Seraph. monet V. Conf. diff. 3. ver. Amentes vero, ne detur confirmatio iis amentibus de quibus constat notorie incidisse in amentiam in statu peccati mortalis. Constat inquit, nam si non constet, vel dubitetur, scimus omnes, debere eos praeferri bonos, & confirmandos. Non placet monitio, quia semper dubitari potest aliquod intercessisse lucis intervallum, in quo per contritionem bonum statum acquisierint.

3. Quod si alicubi Episcopus Amentes confirmare non soleat, satis excusabuntur Parentes, si illos ad Episcopum non adducant.

§. III. De proximè morituris.

1. Hos tamen si sint Infantes, posse & debere confirmari, ratio modo dicta §. 1. n. 2. suadet. Excusatio tamen illa esse solet in promptu, quia ejusmodi infirmi suis in lectulis jacentes, sive erubescunt, sive timent, ad se Episcopum advocare.

2. Audiant tamen Episcopi quod Io. Sanch. in sel. d. 40. n. 4. ver. Quod si Episcopus adire, ipsis edicit, si Episcopus (inquit) adire Carcerem vellet, & ibi Confirmationem ministrare condemnatis ad mortem exemplum humilitatis, & cura ingentis erga suas oves ostenderet. Audiant quæ scripsit Quintan. de Conf. sing. 3. n. 5. Si suspendendus (inquit) vel quilibet moribundus Confirmationem petat à proprio Episcopo, illum sub mortali teneri ad eam ministrandam, docent Angelus, Vivaldus, Fillius. Ochagavia, Suar. Reginaldus, Layman, quia privaret petentem magno fructu. Audient Sanctissimum Pastorem Carolum Borromæum, in Decr. 27. Decretorum Mediol. Si quis (inquit) cum periculose agrotat, Confirmationem sibi ministrari petat, tunc Episcopus, si eo loci est, ubi ille agrotat, ne sine hoc Sacramento decedat, eum charitate patere a invisar, & confirmet.

§. IV. De Adultis.

1. Primo. Hi statim à Baptismo confirmantur, si opportunitas adest, quia nihil eos impedit, & sic fortiores redduntur ad fidem profuturam.

2. Secundo. Non tamen idem peccant, nec mortaliter, nec venialiter si citra contemptum, vel quid simile, data occasione id negligant, quia de hoc nullum apparet præceptum: quæ est sententia Suar. d. Conf. d. 83. sect. 1. ver. Quo circa, contra Caët. & alios nonnullos putantes, esse veniale. Vnde non est fides habenda Leandro de Conf. d. 1. q. 7. sine, qui trahit ad se Suar. quasi concedentem esse veniale.

3. Tercio. Nec villo modo peccant ij Fideles, qui nondum Confirmati accedunt ad Sacram Eucharistiam assumendam, quia multo magis de hoc nullum præceptum adest, quicquid Tol. Victorel. Sor. apud Dianam p. 4. tr. 4. ref. 50. dicant in oppositum. Multo (ait Quintanad. de Conf. sing. 4.) minus peccant, qui nondum Confirmati, Religiosam Professionem emittunt, vel alia Sacramenta (præcinde ab Ordine de quo mox) suscipiunt, vel administrant.

4. Verum Quarto. Quid de suscipientibus Ordines, non præsumpta Confirmatione? Respondeo. Id magis est

controversum. Puto tamen, neque hos peccare mortaliter, quia neque hic apparet adeile præceptum vel gravem saltem consuetudinem. Tridentinum autem tenetur, qui confirmationem non susceperint, minus tamen videtur, quam præcipere. Ita Suar. Valent. Gran. Avil. alique apud Dianam p. 2. tr. 16. q. 1. Amentes fatetur probabile item esse, committi mortale, quia dissimili etiam Auctores Tann scilicet Bon. Tol. cum Ancisa de Conf. sine, id affirmant.

5. An autem peccent saltem venialiter? Respondeo. verè communior opinio est eos peccare venialiter, probabile etiam est ne venialiter quidem peccare, quia ne levis quidem deordinatio apparet, & ex alia parte non obligamur omnes bonas operationes Ordinandi suscipiendi præmittere: Episcopum quidem ipsum iter ordinantem non confirmatos, à dicto veniali excusulo, quia magis ad ipsum pertinet, directionem Conciliorum diligenter custodire.

Inquires denique, Quamnam dispositionem debet confirmandus, ac ritè & licitè hoc Sacramentum suscipiat? Respondeo, præter intentionem saltem venialem illud suscipiendi, & statum gratiæ, qui requiritur suscipiendo Sacramentum mortaliter peccat. l. 1. c. 3. universatiter dictum est, debet Adultus tandem modo scire, quid suscipiat, & alia omnia cognitionem Mysteriorum Fidei, quæ requiruntur susceptione Baptismi, de quibus suo loco dictum est supra lib. 2. c. 2. §. 3.

CAPVT IV.

de Patrino in Confirmatione.

1. Quoniam plura, quæ de Patrino in Baptismo proxime superius ad Patrinum Confirmationem etiam faciunt, ideo sunt ea omnino recedenda, & minus hic aliqua, ibidem dicta commixtatis generis petemus, & alia propria superaddemus.

2. Patrinus, vel Matrino contrahit cognitionem rituale, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonium; sess. 24. c. 2. de ref. sic enim habet Trid. Et quæque cognatio, quæ in Confirmatione contrahitur, ter confirmantem, & Confirmatum, illique Patrem & Matrem, ac tenentem, non egrediatur. Claretur tibi erunt ex dictis de Patrino in Baptismo. Hic nota illud (tenentem) quare si cit non tangens baptizandum non contrahit cognitionem, nec contrahitur tangens Confirmandum.

3. Secundo. Idem qui fuit Patrinus in Baptismo potest esse in Confirmatione, ut docet G. Hur. de diff. Silu. V. Confirmatio. n. 4. alique. Verum probabilior est tropal. de Conf. d. v. n. p. 10. num. 2. Bon. Laym. Barbo. cum Diana p. 3. tr. 4. ref. 21. alique dicant debere esse diversum, nisi necessitas urgeat, licet admittatur eadem, non esse mortale: quia res non est gravis, sicut tur Diana.

4. Tercio. Patrinus in Confirmatione non fit p. vnus, vel vna, quia quod in Baptismo possit esse vnus, & vna dispositum fuit à Tridentino, in Castro l. c. quod non fuit dispositum in Confirmatione, ergo in hac standum est iuri communi, C. Final. de Conspol. in 6. quod vnum, vel vnam tantummodo in Confirmatione concedit. Rectè autem decretum est ob deordinationem in Synodo Panormitana part. 2. cap. 13. ut, item Pontificali Romano Clem. VIII. mas matrem, sive foeminam teneat, addit Barbo. l. 2. p. de pot. Episc. al. n. 52. non posse convenienter vnam esse Patrinum, & duorum tantum in eodem die, sic præscribere Pontificali, nisi fortè ejusmodi Patrinus sit probus, & præfatus nisi sit Ecclesiasticus, de quo non addit multum præfatio. Hæc ille. Sed profecto rectè dixit (conveniens) nam ceterum præceptum non video.

De Pœnis iterum Confirmantis.